DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
TYMPANITIDE,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS AC DIRECTORIS
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI
DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Antonius Paulmichl,
Tyrolensis Malsensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 9. Martii 1833.

VINDOBONAE.
TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

AMICIS DILECTISSIMIS

PAGELLAS HASCE

D. D. D.

AUCTOR.

Introductio.

In diversis organismi locis fluidum elasticum haud raro expansum detinetur, ibidem intumescentiam elasticam, nomine *Pneumatosis* (juxta etymon vocis *inflatio* a *πνεῦματοω*) insignitam producit.

Est vero *Pneumatosis* vel aëris atmosphaerici in telam corporis cellulosam, vel in cavum organicum introductio, susceptio, expansio; vel laticis aëriformis qualiscunque in istis evolutio, secretio et plerumque cum halituosa partis inflatione, retentio.

Perpensis iis, quae de Pneumatosis definitione generatim dicta sunt, sponte inde sequitur: duplex esse hujus morbi genus, habito sedis generalis, quam occupat, respectu: *Pneumatosin cellularem*, seu *Emphysema*, ratione sedis et originis vario modo distinguendum; et *Pneumatosin cavorum* pro diversis cavis, diversa obtinentem nomina, e. g. *Pneumatothorax*, *Pneumatopericardia*, *Pneumatomphalus*, *Pneumatocele*, *Physometra* etc.

Quamvis fermentatio, sive putrida, sive alia fertilissima est mater Pneumatosis, quae huic operi praefigitur, nervorum tamen influxu vario modo mutato: vel ex adaucto vel depresso virium vitalium vigore, non tantum functiones, sed et rationes che-

micae diversimode invertantur oportet; ut ex varia particularum animalium, e singulari elementorum ratione compositarum, combinatione et reciproca affinitate, varium aëriformis materiei principium liberum fiat, excludatur ac novam cum aliis compositionem ingrediatur; quod eo minus denegare possumus, quo frequentius sub diversis affectionibus morbosis diversas Pneumatosis species enasci ac sponte iterum evanescere observare licet, quin putredinis aut alius fermentationis processus, aut per continui laesionem aëris atmosphaerici ingressus earum genesim declarare valeat. Quocirca cel. *Soemmering* systematis lymphatici actionem ita permutatam esse contendit, ut secretionis et resorptionis operi pro materia aëriformi adaptetur. Cui sententiae eo minus insistere haesitavit, quo plus ex *Zootomia* ipsi innotuit, exsistere ejusmodi secretionis apparatum, quo fit, ut fluidum elasticum sub statu salutis integerrimae in piscium vesica propria, s. d. *natatoria* continuo secernatur.

Ex genere Pneumatosium, cavorum potissimam meretur considerationem illa frequentissima, ad tubum cibarium spectans, quam *flatulentias* nuncuparunt, quae ad gradum majorem evectae, in febribus morbisque acutis *Meteorismum*, in apyreticis vero *Tympanitidem*, statum morbosum, in quem hic inquirimus, inducunt.

Tympanites.

Denominatio ac definitio.

1.

Tympanites, Hydrops siccus et flatulentus (Hippocrates), *Tympania* (Galenus et Trallianus), *Tympanita* (Sennertus), *Tympanias* (Frommann apud Bonetum); Italis *Timpanite*; Gallis *Tympanite, hydropisie sèche, enflure du bas-ventre;* Anglis *Tympanitis, windy swelling, dry hydropsy;* Germanis *Trommelsucht, Trommelgeschwulst, Windwassersucht, Bauchwindsucht* appellata, designat voluminosam ventris, ob aërem in hoc contentum, elationem levem, elasticam, a decubitu supino vix subsidentem, et a percussione tympani instar resonantem, cum alvo utplurimum sicca, aut obstinaciter stipata, continuo et inani fere ructus, flatus, nisi tacitos, emittendi nisu, dyspnoea, tussi sicca, singultu violento, anxietate, lassitudine.

Differentiae ab aliis morbis.

2.

Notione supra praemissa exclusum volo quemcunque alium tumorem abdominis, qui cum Tympanitide potest confundi. Huc spectant:

1. *Meteorismus.* Hic uti Tympanites ex abdominis expansione per Gas elasticum oritur, ac intumescentiam offert elasticam, levem ad pulsationem sonum edentem, comite intestinorum dolore aut nullo, aut obtuso.

Dignoscitur vero eo, quod, si totum abdomen tumeat a meteorismo, illud symptoma sit naturae magis

fugacis, et acuti cujusdam morbi, uti febris, praesertim gastricae, nervosae aut putridae frequens comes; si vero tantum epigastrium prae reliquo abdomine elatum sit, hoc symptoma, quod ceu caracterem meteorismi distinctivum a Tympanitide habere nonnullis placuit, licet pertinax cum Tympanitide minime potest confundi. *Sauvages.*

Sub meteorismo febrili in tenuibus etiam intestinis Gas elasticum posse extricari atque colligi, abdomen circa umbilicum aequabiliter prominens sat clare demonstrat; nec non in ipsa abdominis cavitate invenitur, intestinis aut plane liberis aut simili flatulentia adfectis.

3.

2. *Colica flatulenta.* Analogum quoque morbum sistit colica flatulenta, quae vero utplurimum minori ventris expansione, doloribus intestinorum gravioribus, ac universim decursu breviori distinguitur. In colica flatulenta volumen totius abdominis minime est adauctum; et morbus est acutissimus in paroxysmo. *Sauvages.*

4.

3. *Hydrops Ascites.* Non ubique tam facilis est Tympanitidis distinctio ab hac hydropis specie, praesertim in primordiis utriusque affectionis morbosae. Utplurimum tumore levi, elastico, resonante et fluctuationis defectu dignoscitur Tympanites, nec non abdomine circa umbilicum in quocunque aegri situ constanter prominente. Ast haec signa non semper sunt characteristica; sed diversis sub conditionibus diversimode obscura aut permutata saepe saepius medicum in diagnosi seducunt. Levitas abdominis in Tympanitide cum variis viscerum abdominalium obstructionibus, indurationibus aut majori sordium accumulatione stipata imminuitur aut plane evanescit.

Sonum peculiarem et in ascite ad gradum majorem evecto, cui certe adsociatur Tympanites, nonnulli audire contendunt. Fluctuationis sensatio, praeprimis in hydropis gradu altiori, ascite saccato, vel et coexsistentibus indurationibus, degenerationibus obscuratur aut plane aufugit. Sub tali rerum conditione originis, decursus nec non complexus symptomatum singulis morborum speciebus peculiarium ratio est habenda; et non nisi continua et diligentissima horum momentorum observatio diagnosin ab erroribus sat periculosis defendere valet.

5.

4. *Hydrovarion.* Liquor in hydrovario vel in unica vesica coërcetur, unde intumescentia grandis, et non raro super totius abdominis ambitum aequabiliter extensa, fluctuatione sese prodere solet; vel in pluribus vesicis aut saccis continetur, unde tumorem inaequabilem absque fluctuatione refert. Nisi haec sufficerent momenta diagnosin ad firmandam, locus, quo tumor primo exsurgit, decursus Tympanitidis citior, dolores colici, nisus ructus et flatus emittendi, et levamen illorum secessum insecutum, ad quae medicus inprimis attendat, ne morbus ipsum pro hydrovario decipiat, hujus suspicionem imminuent, exstinguent.

6.

5. *Physconia visceralis.* Haec distinguitur a Tympanitide tumore abdominis inaequabili uni, alterive visceri insidente, denso, nunquam vero elastico; dolore aut nullo aut obtuso; decursu lentiori et turbis visceris functionum in reliquam oeconomiam animalem mox redundantibus.

Sedes et Divisio.

7.

In pristinis medicinae temporibus auctores de sede hujus morbi materiali valdopere inter se dissensisse

legitur. Communis olim fuit opinio, Tympanitidem adesse, dum aër in cavo abdominis haereret, uti *Aracteus*, aliique veteres auctores testantur; inter quos solus *Duretus* sedem mali non abdominis sed intestinorum ac ventriculi cavum fere semper esse statuit. In *Schenkii*, *Boneti*, *Mangeti*, aliorumque operibus sedes Tympanitidis potissimum in ventriculo et intestinis reperitur. Tympanitidem ab aëre in cavo abdominis extricato in dubium revocat cel. *Littre* [1]) cui et consentit cel. *de Haën* [2]). Exsistentiam illius extra tractum intestinalem non omnino negatur ab *Heistero* [3]) et cel. *Combalusier* [4]). Ast Tympanitidem abdominalem multo rarius occurrere, testatur expertissimus *Heisterus*. Licet cel. *Lieutaud* [5]) aliique auctores moneant, gas elasticum in abdominis cavo raro inveniri, quin simul et in intestinis deprehendatur; et *Selle* atque *Cullen* non nisi ex intestinorum ruptura, aut erosione Tympanitidem abdominalem progredientem admittant; experientia tamen atque auctoritas clarissimorum virorum, nec non principia generalia de Pneumatosium generatione supra praelata *de genesi aëris substantiva* in abdominis cavitate nullum dubium relinquunt. Optime cel. *Vogel* sedem hujus mali designat, Tympanitidem ita definiens: „Haec est abdominis ex multo flatu distensio, permanens et diuturna. Flatus autem vel intra ipsius cavitatem inclusus est, vel intra intestina tenuia aut crassa, seorsim vel conjunctim, eorumque membranas etiam haeret, vel denique utrimque tam in abdominis, quam intestinorum, et nonnunquam simul ventriculi cavitate.“

---

[1]) Mém. de l'Acad. R. de scien. 1713.

[2]) Rat. med. part. II. pag. 65 et seq.

[3]) Med. chirurg. und anat. Wahrnehm. p. 28.

[4]) Pneumatopath. p. 33.

[5]) Précis de méd. pratiq. p. 362.

8.

Perpensis iis, quae de sede Tympanitidis materiali praemissa sunt, patet, non adeo inepte ratione sedis eam dividi posse in Tympanitidem *intestinalem* et *abdominalem*. Haec species distinguitur ab illa in eo, quod inflammationem aut gangraenam visceris cujusdam in abdominis cavo absconditi supponat; tumor aequabilior sit ad attactum; sonitus evidentior; emissio flatuum rarior, aegrumque minus levans; alvus minus pertinaciter clausa, cum actio intestinorum hic non ita laedatur, uti in priori specie; quod tandem dolores magis ad exteriora referantur.

9.

Sed praeter hasce duas species datur et alia, quae ab emphysemate intestinorum ceterorumque abdominis viscerum dependere putatur. Vera in intestinis humanis emphysemata jam observavit cel. *Duverney* [1]). Haec species apud cel. *Combalusier* [2]) *Tympanites enterophysodes* audit. Dignoscitur ex inaequali tumore abdominis aliunde tympanitici; maxime vero ex conjunctis plerumque pneumatocele, pneumatomphalo.

10.

Insuper ratione sedis alia adhuc Tympanitidis species ab observatoribus notata legitur: videlicet si ab aëre in utero contento oriatur constans tumor, ac levis, elasticus, uteri figuram et sedem referens in mulierum hypogastrio. Haec species diversa etiam a medicis obtinuit nomina: *Tympanites uteri* ab *Astrucio* [3]), *Physometra* a *Sauvagesio*, *inflatio uteri* a *Sennerto*. Hanc speciem in *siccam* et *humidam* dispescunt; prouti vel

---

[1]) Act. Acad. Petrop. T. V. p. 213.

[2]) Pneumatopath. Nr. 122 et 152.

[3]) De morb. uteri L. II. c. 9.

aër solus vel cum aqua in utero contentus eundem in tumorem elevat.

Inter hasce Tympanitidis species solummodo de Tympanitide intestinali, utpote omnium frequentissima, hic praecipue sermo erit; alias utpote minus frequentes ob brevitatem, quam tempus me observare jubet, hic leviter solum attingo.

Hypotyposis et Decursus.

11.

Tympanitidis cognitio haud difficulter desumitur ex essentialibus, quos in decursu suo offert, characteribus, atque ex differentiis analogis, quas cum adfinibus habet morbis, rite perpensis et inter se comparatis.

Praegressis prodromis variis pro vario momento occasionali, incipit plerumque morbus a molesta abdominis tensione et intumescentia in epigastrio et regione epicolica, ab initio non semper aequabili, cui confestim dolores colici, ructus et borborygmi succedunt. Nonnunquam ardoris sensus continuus in abdomine persentitur, qui conspicue intenditur, quoties cibi flatulenti ingerantur. Alvus est adstricta, quin desint exempla, ubi aegri hoc morbo praehensi in initio alvum deposuerant liquidam; appetitus vix ullus, etiamsi nonnulli famen perpetuam observasse velint, sub qua quicunque cibi ab aegris sine ullo levamine ingurgitati essent.

Urget sitis et virium languor. Pulsus, cutis et urinarum conditio est ferme naturalis. Malo tamen progrediente et per aliquot dies durante, increscunt omnia symptomata: abdomen fit voluminosum, aequabiliter tensum, durum, globosum, versus umbilicum in quocunque aegri situ constanter prominens, neque a decubitu supino, neque positu in unum, alterumve latus tentato subsidens, a percussione tympani instar

resonans; calore externo artificiali intumescentia adhuc increscere consuescit; fere continuo molestatur aeger borborigmis sive flatibus, qui quacunque causa in intestinis extricati sursum deorsumque, quasi aeoli in antro aberrantes, sensibilem tubum alimentarem ad contractiones molestas, violentas sollicitant. Alvus pertinaciter, et octo, quandoque plures per dies obstruitur, in morbo graviori ne efficacissimis quidem remediis exoneranda, cum inani fere ructus et flatus, nisi tacitos, emittendi conamine; quorum emissio, si conceditur, insigne pro momento affert levamen.

Dolores colici, quos aegri ab initio circa praecordia et umbilicum tensivos, rodentes, punctorios persentiunt, nunc propagantur ad regiones lumbales; si enim valde intumuerint intestina, mesenterium et mesocolon non tantum, sed et, quibus adnectuntur, lumbi, necessario distrahuntur.

Hinc bene notavit *Hippocrates* [1]: „quibus praeter „tormina et circa umbilicum dolores, lumborum etiam „dolor accedit, qui neque medicamento purgante, ne„que alias solvitur, hic in hydropem siccum firmatur.“ Quo magis intestina ab aëre et faecibus accumulatis inflantur et distenduntur, eo parcior apparet urinarum secretio, quae ex organorum uropoëticorum compressione mechanica haud difficulter intelligitur; ceteroquin illae sunt naturales, interdum rubrae, stranguriosae. Sic et icterus Pneumatosi huic intestinali modo symptomatico non raro succedens genesim suam ductus choledochi compressioni contribuere videtur. Extremitates malo paucos modo dies persistente jam gracilescunt, tum macies in facie et pectore insignis manifestatur. Non raro pedes oedematose intumescunt, et habitum cachecticum miseri prae se ferunt.

---

[1]) Aph. 2. sect. 4. charter T. 9. p. 138.

Turbae non exiguae ex functionibus tubi cibarii sic pessumdatis et humorum et efficientiae nervosae libero commercio impedito in totam oeconomiam vitalem necessario redundare debent. Sic veteres jam medici effectus nocivos ex nimia ventris ab aëre incluso distentione oriundos noverunt, inter quos cel. *Hoffmannus* sequenti modo sese expressit: „In nulla corporis humani parte tantas molestias creant fluida elastica (quae nil sunt, nisi vapores halituosi, expansiva vi praediti), quam in ventriculi et intestinorum cavitate, ubi velut in carcere inclusa, hosce canales ex tunicis mere musculosis et nerveis, quae motu et sensu gaudent, conflatos, remittente ipsarum tono, non sine dolore et anxietate vehementer distendunt, et ut multum inde omnis generis functiones laedantur, efficiunt." Unde respiratio difficilis, anxia, tussicula, singultus, anxietas et delassatio magna aegros lacessunt. Sub ulteriori morbi decursu in chronicum magis vergente non raro dolores, intestinis ab aëre nimis distentis, nec amplius ob statum fibrarum muscularium paralyticum sese contrahendo paribus, et cute propter summam abdominis extensionem jamjam splendente penitus cessant. Flatus morbo ad finem jam vergente vix ulli secedunt; sed plerumque, dum ad sinistram regionem iliacam perveniunt, ibidem dolore interdum acuto, punctorio enato, mox cum strepitu versus hypochondrium revertuntur.

Accedunt paulo post aestus internus, sitis flagrans, pulsus citati, parvi, irregulares, intermittentes, et alia febris hecticae vesperi ingruentis symptomata.

Quibus vertigo, susurrus aurium, oculorum caligo, orthopnoea, suffocationis periculum, cordis palpitatio, lipothymiae, vomitus, ipse ileus, haemoptoë, fluxus haemorrhoidalis, paralyses, apoplexia frequenter associantur. Vitam aegri tam flebilem amare, mor

tem vero, etiamsi tantarum miseriarum finem, quam maxime abhorrere consuescunt.

12.

Nisi uni alterive superiorum symptomatum aegri succubuerint, febris nervosa viribus ad imum prostratis cum siti adhuc flagrante, oris siccitate et cutis ardore stipata, aut febris putrida, e praegressa intestinorum gangraena enata, vitae finem imponit. Rarissime quidem, interdum tamen, canalis alimentaris nimis distenti, ruptura mortem praecedit. Tali modo Tympanites intestinalis, in sensu stricto sic dictus, decurrit, et morbus intra spatium aliquot dierum absolvitur, aegros brevi abripiens morte.

In casu faustiori, multo tamen rariori, proh dolor! morbus subinde per alvum faeculentam, nigram, pessime olentem, et per flatus, quos redeuntes borborygmi praesagire consuescunt, foetidissimos, copiosos, ano explosos solvitur.

Sed datur et Tympanites, decursum induens, qui multo lentiores vitae insidias struit, per hebdomades et menses persistens, ubi ascites Tympanitidi associari solet.

Observantur et Tympanitides periodici, tempore statuto redeuntes, imo partiales, alteram tantum modo ventris dimidiam occupantes.

Sectio cadaveris.

13.

Equidem miror et ignoro, cur, quum plurimi scriptores Tympaniam valde periculosam, fere semper lethalem declarent, non plures communicatae legantur cadaverum sectiones, quae proximam morbi causam aliquomodo explicarent. Optima hucusque ejusmodi mortis imago a cel. *Francisco Nob. ab Hil-*

denbrand, perspicacissimo naturae scrutatore, meoque summe venerando praeceptore, ex annalibus scholae clinicae medicae Ticinensis nobis traditur.

In cerebri cavo membranarum concretiones, leves exsudationes lymphaticae, vasa sanguine turgida, in plexubis choroideis hydatides, visa sunt. In thorace praeter pulmones ob diaphragma fere in medium thoracis elatum in spatium angustissimum coactos, nil abnormis. In ventris cavitate viscerum abdominalium, imprimis hepatis, pancreatis, mesenterii infarctus, obstructiones, fideles sibi comites, Tympanites agnoscit. Peritonaeum atque interna intestinorum facies sunt coloris rubicundi, hinc inde lividi; intestina vero invicem conglutinata, adeoque expansa, ut pariete abdominali vix inciso foras protruderentur, maxime colon transversum et descendens, diversis tamen in locis arctissime contracta. In puero tympanitico crassa intestina aëre et faecibus ita distenta fuerunt, ut colon sua mole jecinoris vim attulerit. Praecipuae stricturae inter duodeni finem et jejuni principium, ad insertionem illi in colon, in colo adscendente, inter colon transversum et descendens, tandem ad curvaturam sigmoideam. Intestinorum anfractus citra morem contorti; tunicae incrassatae et callosae, ubi strictura locum habuit. Incisa aliqua plaga intestini, aër foetidissimus cum impetu prodit; ast considere tumor ex integro non observatur; qua de re ad gas elasticum omne educendum tot fieri debent puncturae, quot sunt tumidae portiones, stricturis invicem separatae. Dissectus tubus entericus crassus plurima scatet sorde faeculenta, pultacea, tenacissima, grisea, argillae non absimili, intestina tenuia praeter aërem, parum continent de materie pituitoso - biliosa. In cavo abdominis effusio seri; omentum e suo positu remotum; ventriculus fere vacuus, vel aëre repletus; cystis fellea valde turgida vi-

dentur. Graviores interdum viscerum degenerationes et gangraenae vestigia animadverti, ex diagnosticis sponte liquet.

Aetiologia et Nosogenia.

14.

Cognita jam imagine generali Tympanitidis quaeritur, quaenam sit *origo*, ex qua nascitur malum, et quaenam ejus *natura?*

Omnino extra omne dubium positum est, prouti in aliis morbis, ita et in Tympanitide praeter causae procatarticae actionem adhuc requiri dispositionem, seu morbum contrahendi propensionem. Quibus momentis causalibus singulis perspectis, facilius et majori cum emolumento nobis succedet ad interiores hujus morbi penetrare recessus.

Licet equidem cuivis aetati communis esse queat, saepius tamen infantili ac senili morbus insidiosus.

Quamquam uterque sexus illi obnoxius sit, juxta tamen observationes et practicorum experientiam mulieres frequentius, quam viros, eo corripi constat; verum hos aetate praesertim ingravescente adoritur, illas, ubi catamenia apparere jam desinunt.

Certe et temperamentum et corporis habitus distinctionem aliquam admittit. Temperamentum phlegmaticum et compages organica laxior, mollior, tenuior prae reliquis huic morbo maxime apta et proclivia esse videntur, id quod ex inertia ac debilitate praeprimis organorum digestionis officinae dicatorum, ideoque ad collectionem, fermentationem ingestorum aut ibidem secretorum, et fluidi aëriformis evolutionem inclinantium, haud difficulter declarari potest.

Sic et homines constitutione nervosa notati, quae, retentae systematis nervosi conformationis progenies,

nervos teneriores, imbecilliores, stimulorum impatientes, ideoque conspicuam eorum mobilitatem, erethysmum ostendit, uti hypochondriaci, hystericae, singularem Tympanitidem contrahendi involvunt proclivitatem.

Vita magis quieta et otiosa, feriata a negotiis et sedentaria ad Tympaniam producendam confert. Potatores, maxime spirituosorum, frequenter hunc morbum incurrunt.

Homines morbis, imprimis chronicis, vix superatis, aut qui lithiasi, arthritide aut alia diathesi morbosa detinentur, alvo segni seu flatulentia laborant, facilius Tympanitidi succumbunt. Insuper varia viscerum abdominalium vitia, infarctus, obstructiones, febres intermittentes aliquoties exanthlatae, aut sine debito respectu sanatae, modo momentum disponens, modo procatarticum suppeditant.

Causae excitantes.

15.

Causis occasionalibus imprimis omnes adscribi merentur potentiae, quae evolutionem gas uberioris ex ingestis, vel illius extricationem ex humoribus inquilinis, vel et propriam secretionem sollicitare valent. In genere Tympanitidem ex ingestis immediate, vel et accedente simul tubi alimentaris energia vitali infracta, sive alienata in modum hucusque non satis perspectum oriri constat. Quocirca haud inique cunctas, quae hujus morbi genesi favent, prophases duplici sub specie distinguo: *externas* scilicet, quae e mundo externo depromtae valetudinis integritatem aggrediuntur; et *internas*, quae intra organismi limites processum morbosum proprium excludendo vigorem systematis gangliosi infringere aut alienare valent, non praeteritis et iis, quae Tympanitidem modo

secundario, ut plurimum modo metastatico, seu per metaschematismum in lucem proferunt.

Potentiae externae.

16.

Huc numerantur praeprimis *ingesta cruda* et *flatulenta.* Demonstravit cel. *Hales*[1]) aërem inhaerere corporibus, et notabilem satis partem molis 'eorumdem constituere; eundemque aërem denuo inde separari, quando partium inter se nexus per ignem, fermentationem, putredinem, effervescentiam, aliasve causas tollitur, vel minuitur: monstravit pariter aërem, separatum a corporibus, elasticum reddi, atque denuo ab aliis corporibus resorptum elasticitate primari. Observavit etiam, vapores aqueos elasticitatem imminuere, sive ex pura aqua nati sint, sive ex animalium corporibus exhalent. Si jam consideratur, digestionis tempore resolvi alimenta; quaedam ex illis in fermentationem, alia in putredinem vergere necessario sequitur aëris separatio ab ingestis; qui nisi iterum resorbeatur, et privetur sic elasticitate per vapores calidos, ex arteriis ultimis in cava ventriculi et intestinorum exhalantes, distendet haec viscera, et quidem tanto magis, quanto plus aëris ingesta continebant, et quanto haec viscera minus firma erunt, adeoque expansioni aëris minus resistere poterunt.

Hinc non raro Tympanitidem exoriri compertum habemus ob cibos tenaces, mucidos, oleraceos, farinosos, leguminosos, phaseolos, lenticulas, pisa, ob pulticulas, pisces maritimos, alios exsiccatos, fructus horaeos, dulcia, mellita, pinguia, ovilla et vervecina; maxime si his frigidus superbibitur potus, vel

---

[1]) Vegetable statik. Chap. 6. p. 309.

alias ob causas: ventriculi et intestinorum inertiam, bilis defectum, tenuitatem, corporis exercitium neglectum, aut masticationem ex aviditate vel ex dentium jactura non absolutam, ciborum subactio languescit, retardatur; fermentatio nunc acida nunc putrida succedit, ac ingens hic loci flatuum evolvitur copia.

17.

Similem efficacíam in generando hoc morbo *potulenta nimis copiose ingurgitata* exserunt, sive sint *aquosa*, sive *spirituosa*.

Ventriculum et intestina justo citius eluendo, eorumque non tantum, sed et succi gastrici, enterici, pancreatici, et bilis virtutem infringendo certe modo indirecto non parum ad morbi genesin conferunt.

Cerevisiae tenues, non satis fermentatae; vina juniora sub ipsa effervescentia fluidum elasticum copiosissimum evolvendo Tympanitidem inducunt. Non pauci sunt homines, qui ne mineralibus quidem uti possint aquis acido carbonico ditioribus, quin ventre non minus turgeant, quam caput obnubilari persentiant.

18.

Non minus grave momentum occasionale sistit *refrigerium*, cujus virtus sive ex aëre, sive potu frigido, praeprimis corpori aestuanti aut sudore madido, et repente applicata efficax notari meretur. Quanam vero ratione Tympanitidis genesis hic declaretur, ad forum medicinae mysteriorum pertinet. Extra omne dubium positum est, suppresso cutis transpiratorio munere, fortiores reactiones in membranis mucosis oriri, quibus fieri potest, ut vasa lymphatica harum membranarum, commercium dynamicum cum cute externa sustinentium, polaritate functionum inversa, munus cutis exhalans supplere conentur, quod eo probabi-

lius esse videtur, cum jam in statu sano aliquid aëris continuo in ventriculo et intestinis exhalent. Quid, si et ad spasmum ex frigore fibris muscularibus intestinorum inductum confugeremus?

19.

Potentiis externis, iisque mechanicis adhuc abdominis *contusio* adnumeranda venit, quae hunc morbum produxisse legitur; musculorum abdominalium laxitas huic traumati insecuta et status irritativus intestinorum symbolam suam genesis rationi hic suppeditare debent.

Causae internae.

20.

Inter causas internas vix non maximam sibi adrogant efficaciam in procreando praesenti morbo *spasmi* hypochondiacorum et hystericarum praeprimis ex refrigerio aut animi pathematibus, maxime deprimentibus, incitati; quibus fit, ut tractus intestinalis in duobus aut pluribus, quandoque multis plagis contrahatur, et aër ibidem intercludatur. Agente hac causa procatartica aut nimis valide, aut frequenter repetita, aut diuturna, vis contractilis intestinorum perit, vel saltem adeo debilitatur, ut aëris intercepti ac rarefacti vi se expandenti cedat; unde Tympanites emergit, qui nonnullis *spasmodicus* audire placuit. Quin ullum in victu errorem commiserint hypochondriaci, solo animo ingrate commoti, in Tympanitidem incidisse narrantur. Quapropter et dantur medici, qui omnem fere Tympaniam affectione spastica intestinorum unitam esse contendunt.

Ex praegressis elucet, hunc morbum solius irritationis morbosae nervorum, vitae organicae praesidentium, effectum esse posse.

Simili modo *enteritis* prophasibus internis adscribi meretur; partim ob spasmos eadem unitos, partim ob peculiarem secretionis facultatem, qua intestina in statu subinflammatorio fluidum elasticum exhalare videntur.

21.

Excreta et *retenta* quoque in generando hoc morbo non minimam certe causam ferunt, quum videlicet ea, quae naturaliter excernenda sunt, praeter naturam retineantur, aut quae retinenda evacuentur.

Ad classem primam referuntur saburrae, stipsi pertinaci nimis diu collectae, colluvies verminosa, defectus bilis, mensium et haemorrhoidum retentio, aut aliarum excretionum, quae organismo in consuetudinem jam cesserunt, e. g. fluoris albi.

Ad classem alteram pertinent nimia alvi excretio sub dysenteria, diarrhoea, cholera, et ileus.

Nec minorem attentionem in se convertant *exanthemata acuta* ac *chronica*, e. g. scarlatina, variolae, morbilli, milliaria, herpes, scabies, spora, tinea etc. perversa methodo tractata, vel sine causa manifesta dispersa, quae saepe saepius Tympanitidem producunt.

22.

Non minoris momenti prophasin sistunt *variae viscerum abdominalium adfectiones;* huc spectant: horum viscerum infarctus, obstructiones, praesertim hepatis, lienis, pancreatis, mesenterii; volvulus, polypi, herniae incarceratae; ascites, febris intermittens, icterus, arthritis.

23.

Quibus collectis atque bene perpensis arduum omnino non erit intelligere, *Tympaniam secundariam*, quae radicem suam in aliam adfectionem morbosam extendit, et sive per *metaschematismum* sive per *metastases*

enascitur, frequentius in praxi medica occurrere, quam *primariam*.

Causa proxima.

24.

Est vis contractilis intestinorum ita imminuta, ut aëri in iisdem expanso cedere debeant, sicque magis magisque dilatari. Cel. *de Haen*[1]) profert: „Si enim ita „perierit vis contractilis intestinorum, ut plane sit in„ers, si continuo a prava diaeta intestina distendantur, „distentaque maneant; erit demum ex proëgumena et „procatartica causa combinata, causa proxima nata, „nempe ipse Tympanites."

Cel. *Cullen*[2]) essentiam hujus morbi in virtute contractili intestinorum debilitata cum alacriori nervorum sensibilitate quaesivit. Attamen non tantum defectus energiae vitalis intestinorum quantitativus, sed revera aliqua abnormis constitutio nervorum *(eine eigene Umstimmung derselben)* in istis organis, perversa secretio et *Spasmus inflativus* genesi hujus morbi proxime subesse videtur. Actio systematis lymphatici, vasorum nimirum absorbentium et exhalantium, praeprimis alienata esse debet. In quonam vero haec alienatio functionum, et ille [spasmus] inflativus consistat, adhuc sub judice lis est.

Prognosis.

25.

Tympanitidis prognosis causarum rationem sequitur, et pro varia morbi duratione atque intensitate varia esse potest. Est morbus periculosus, raro curabilis et saepius lethalis. Unde *Aetius* autumavit: „Est „Tympanites omnino periculosus, minus eo ascites;

---

[1]) Rat. med. T. 4. c. 3. p. 65.

[2]) *Cullen* a. a. O. §. 1635. u. f.

„adhibetur enim in eo pertusio sive punctio, quam „Graeci paracentesin appellant, et reliquis quoque re„mediis promptius, quam ille, obedit." Cel. *Lieutaud*[1]) declarat Tympanitidem morbum semper formidandum, quandoque longissimum et ad remedia aeque rebellem ac asciten. Curatu semper difficilem morbum esse notant *van Swieten* et *Sauvages*. Absolute incurabilem Tympanitidem amisso ab enormi dilatatione intestinorum tono pronunciat cel. *Lieutaud*[2]). Causa difficilis aut impossibilis sanationis delitescit in prava dispositione, et in auxilio plerumque nimis tarde, Tympanitide jam adulto, petito; quo fit, ut fibrae musculares intestinorum, nimis distentae, nisi penitus paralyticae reddantur, multum tamen de sua facultate motrice amittant; aut saltem per morbum ita mutentur, ut functionibus exercendis sint impares. Quare pro bono adhuc habetur omine, si morbus est recens, praeprimis ex spasmis, animi pathemate aut refrigerio inductis, repente exortus; si in Tympanitide, etsi adulto, borborygmos percipit aeger, qua signum, intestina recuperasse, aut non penitus amisisse facultatem sese contrahendi. Tympanites ex suppressis haemorrhagiis, medorrhoea, exanthemate aut impetigine interdum sanatur, si medico contingit, ut evacuationes restituantur, aut cutis efflorescentia resurgat. Quo voluminosius est abdomen, quo pertinacior alvi constipatio, quo rarior borborygmorum perceptio et flatuum secessus, quo difficilior respiratio, quo frequentior singultus, eo tristior est prognosis. Pessime miseris consultum esse putes, ubi lipothymiae, haematemesis, haemoptoë, febris hectrica superveniunt. Morbus visceris corruptioni aut gangraenae superstructus, absolute lethalis. Dolor immanis, sitis inexplebilis, sin-

[1]) Précis de méd. pratiq. p. 362.

[2]) Ibidem.

gultus, lipothymiae, frigus extremitatum imminentem suspicantur gangraenam.

Tympanitidis complicatio cum ascite ubique pejorem sistit prognosin. Sic *Hippocrates*[1]) *malas jam pronunciavit urinas parva sedementa habentes;* uti et alibi dixit: *in hydropicis siccis urinae stillicidia mala.*

Therapia.

26.

Tympaniae intestinalis impugnandae praecepta ex causarum, quarum illa effectus est, natura eruenda sunt. His ipsis, in quantum id licet, remotis, vel saltem imminutis, liquidum aëreum morbose extricatum ac retentum destruendum aut educendum; intestina vero expansa, dilatata, distracta, ne denuo huic pateant, sunt munienda. E quibus patet, in Tympanitidis cura tres indicationes esse respiciendas.

27.

Primae indicationis scopus igitur intendit, *causas remotas et occasionales disquirere atque sufferre.*

Si fors errores in diaeta vel regimine in causa, isti sunt corrigendi, saburrae, quae adsint, educendae, obstructiones, infarctus tollendi, constrictiones spasticae solvendae. Itaque omnium primum est reserare alvum, non tantum, quod sordes saepius in causa sunt, sed et ex eo, quod sua retentione et accumulatione malum utplurimum exasperant. Hoc autem obtinetur, dum morbus recens est, clysteribus laxantibus, et purgantibus diversis, pro diversa ansa, ex qua Tympanites oritur. Incipiatur cum mitioribus: Manna, Tamarindis, oleo seminum Ricini, Aqua laxativa, infus. fol. Sennae et similibus, quae vero ordinario non sufficiunt. Si fortior exposceretur stimu-

---

[1]) Nro. 453. charter T. 8. p. 869.

lus, tunc cathartica fortiora, tutius agunt. Commendantur in hunc finem Rheum, Aloe, Helleborus niger, Gummi Guttae, ol. Croton. Tiglii, ol. semin. Euphorbiae Lathyridis, quibus Mercurialia simul possunt copulari. Ast non ubique absque omni respectu haec drastica scopo alvum obstinate reclusam aperiendi seligantur, quum non raro in statu intestinorum symphoretico, aut ipsa phlogosi momenta contraindicantia offendant.

Saepe ac praesertim sede hujus mali in intestinis crassis haerente, plus a clysmatibus exspectari licet.

Injiciantur magis frigide, quam calide, parata ex oleis pinguibus, aqua laxativa, infus. fol. Sennae.

28.

Cum hic morbus saepe sive radicem, sive fructum ad turbas aut vitia *venae portarum provinciae* extendat, medici practici expertissimi extractorum amarorum mitiorum usum commendant; uti: Extract. Taraxac., Gramin., Card. bened., Centaur. min., Chamomill., Fumar., Saponar., Marrub. alb., Millefol., utplurimum cum Gummiresinosis: Gummi Ammoniac., Galban.; praeprimis Asa foetida cum Felle Tauri inspiss. cum Sapon. Venet., Hispan., Antimonial., vel cum salibus mediis: Tartar. vitriol., Tartar. tartaris., solubil., Sal. mirab. Glaub., polychrest. Seign., Terra foliat. tartar., Liquor terrae etc. Nec aquae soteriae: aqua Carolina', Sedlitzensis, Püllnana omni destitutae sunt efficacia. *Cullen, C. L. Hoffmann, Wedekind* et alii sub harum rerum statu sulfur in tali dosi propinarunt, ut alvum reserare valeret.

29.

Quodsi vero *spasticae viscerum debilium adfectioni*, quae, nisi morbum excitaverit, eum saltem sustentare potest, succurrendum est, stimulantium volatilium,

aethereorum, narcoticorum virtus compareti, amicat; ubi radix Valerian., Angelic., Acor., Galang., Zingib.; herba Menth., Calaminth. mont., Hysop., Thym., Rosmarin., Salv., flores Chamomill.; semina Anis., Cumin., Foenicul., baccae Lauri, Juniperi, Asa foetid.; Camphora, Spiritus C. C., Spirit. sal. ammoniac. caust., anisat., Eau des Carmes, Eau de Cologne, Naphtha aceti, vitrioli, nitri, phosphorata, Spiritus nitri dulcis, Spiritus salis dulcis; olea stillatitia; oleum Cajeput., Chamomill., Menth., Millefol.; et ipsa Opiata cum oleosis, mucilaginosis conjuncta auxiliatrices manus hic offerunt, quas tamen, si minus caute debilioribus admoveris, intestinorum eas incendium, gangraenam promovere observabis. Eo magis vero haec, nisi alvus simul aperta servetur, metuenda sunt. Praestant et hic enemata antispasmodica, sopientia ex infus. flor. Chamomill., cum Asa foetid., ex decoct. rad. Ipecacuanh., ex fumo Nicotian. Tabaci. Calor interim, suspectaque indoles hujus fumi sensibiles, magis apud aegros cautionem imperant. Clysmata ex aëre fixo, a quibusdam scriptoribus, praeprimis a *Selle* laudata, non praestiterunt, quod hi promiserant.

30.

In *contemporanea enteritide* hirudines ad anum sunt indicati, vel ipsa phlebotomia, quam in initio ob dolores, calorem, tensionem instituendam esse suadet *Sauvages* [1]). Prosunt quoque in eundem scopum emollientia ore assumpta, et ano clysmatis forma injecta. Notavit etiam ill. *van Swieten* [2]) sanguinis missionem saepe locum habere, ut nata jam phlogosis in distentis flatu partibus, vel vicinis ab iisdem compressis, tollatur, vel caveatur futura. Ast largam, subitam que

---

[1]) Nos. meth. T. 2 p. 514.

[2]) Comm. in Boerh. aph. T. 2. p. 243.

venae sectionem eo solo scopo institutam, ut spasmi ab initio hujus morbi praesentes tollantur, reprobat; cum ab hac sola causa convulsio nasci possit. Binas aegras a Tympanitide cum pulsu duro, inaequali, remittente, cephalaea, dyspnoea correptas, antehac sanissimas, unica et larga venae sectio salvavit; septies repetita sanguinis missio aliam mulierem ab hoc morbo tandem liberavit. *P. Frank.*

Phlebotomia non aliud, quam mere palliativum praesidium suppeditat, a quo absenti omni diathesi phlogistica, atque universali virium exorbitantia minus sperandum est. Simplex status intestinorum symphoreticus a venae sectione nullum capit levamen, stante causa, quae illum produxit et fovit, mechanica, utpote gas elastici et stercorum reclusorum stimulo [1].

31.

Tympania, ex *metastasi* originem trahens, pro diversitate adfectionis morbosae primariae sufflamminatae, et pro diverso, quod haec occupaverat, substrato, diversimode tractetur oportet; omnis vero scopus therapiae rationalis processum morbosum a partibus internis ad externas, minus sensibiles derivantium ope dirigere tendat, quod hic praesertim frictionibus, rubefacientibus, vesicantibus, balneis calidis persequemur.

Evacuationis sive cruentae, sive alius; sive legitimae, sive consuetae suppressio sanguinis torrentem ad intestina continuo dirigendo, eorumque vasa replendo, extendendo, nervos stimulando, secretiones pervertendo et plane novas creando Tympaniam inducens a medico exposcit, ut ejusdem excretionis fons aperiatur, aut saltem suppleatur per similem. Sic Tympania a fluxu menstruo suppresso, per sex jam men-

---

[1]) Annales Ticin. *Fr. Nob. ab Hildenbrand.* T. I. 283.

ses foeminam divexans, comparente largissimo haemorrhoidum mucosarum profluvio, tandem disparuit. Aliam mulierem hoc morbo tentatam fluxus lochiorum restituit. Virgo, haemorrhoidibus pridem subjecta, his suppressis in gravissimam Tympaniam, cuicunque remedio rebellem, incidit; cum vero sanguis iterum fluxisset, etsi non multus, a morbo in integrum fuit restituta.

32.

Secunda indicatio collecti in cavo intestinali *aëris elasticitatem destruere* aut *huic quendam exitum parare* nos jubet.

Huic indicationi variis satisfit remediis tam internis, quam externis. Inter auxilia interna huic scopo inservientia, adhibentur remedia flatus absorbentia, quo scilicet Magnesia calcinata, Lapides Cancr., Aqua calcis, Soda pura, Alcali volat. caust., pulvis Carbonum ex rationibus chimicis praeposita pertinent. Cum vero gas intestinale ex diversis aëris speciebus nimis sit compositum, cuncta haec, ad lapidem Lydium experientiae jam satis explorata, parum hucusque valebant.

33.

Insuper ad expellendum aërem in intestinis contentum commendantur remedia, quae vano *carminativorum* titulo gloriantur: qualia sunt Chamomilla, Melissa, Mentha, Anisum vulgare et stellatum, Anethum, Carvum, Cuminum, Coriandrum, Foeniculum, et multa his similia, quae ipsa in substantia, aut quorum praeparata variis formis interne propinantur, et externe applicantur. Quorum vero virtus in Tympanitide cum spasmis aut atonia intestinorum incedente non ubique sit spernenda, ex supra memoratis elucet. Inter carminativa non immerito primum locum obtinent

acida mineralia dulcificata; verum neque haec, neque alia adhibenda sunt, nisi abacto omni phlogosis metu, et evacuatis apto remedio intestinis.

34.

Omnia vero *potus frigidi* ex aqua gelida, et pro rationibus cum vino, aceto, acido sulfurico diluto aut acido muriatico oxygenato combinata, tum fomenta ex aqua frigida, nive, glacie, abdomini imposita, tum clysteres ex eadem superant. Triginta urceos aquae frigidae effundi jussit *Hippocrates* supra corpus mulieris robustae, quae a sumpto medicamine ventre tumuerat cum dolore, dyspnoea, animi consternatione, vomitu. Quinquies ea mortua videbatur, sed ab affusione frigidae est sublevata, bilem copiosam dein dejecit, et vixit. D. *Rast* fomento ex aqua frigida, dein vero gelida, duos tympaniticos sanatos vidit. Monente *Sauvagesio* mire convenit intus aqua gelida; imo frustula glaciei sunt voranda ad condensandum aërem. Certe frigus tale subitum stringit partes solidas, et simul minuit flatuosae materiae expansionem, sicque volumen aëris distendentis minuendo, et intestinis robur addendo prodesse potest.

35.

Diversa adhuc remedia externa in usu sunt, pro diverso virium statu, morbi complicatione, causa remota et habito aegri diversimodo determinanda. In vehemente abdominis inflatione fomenta sicca, et maxime arenam in igne vel sole siccatam, Romani quondam ceu magnum praesidium habuerunt. In Tympania mere ex spasmis extorta, frictiones cum Linimento saponato-camphorato, Sapone Ammoniae, cum decoctis ex aromaticis paratis, cum oleis pinguibus, volatilibus, ut Nucista, Camphora aut Laudano combinatis et ventri illitis conducunt. Fotus quondam cele-

bris ex pueri urina cum Lapide prunellae (Kali nitricum) diu cocta, lixivium cum sale, sulfure ac alumine ventri imposita fuere, quae subsidia per stimulum extus admotum, interiorem divertendo, vasa ventris lymphatica ad alacriorem reactionem et materiae aëreae resorptionem vividiorem sollicitando emolumentum in hoc morbo praestare possunt.

Cucurbitarum siccarum in Tympanitide magna est efficacia. Veteres opinati sunt, eas ex profundo corporis aërem extrahere: si enim de cucurbita habet *Celsus* [1]): „Ubi inhaesit, si conscisa ante scalpello cutis est, sanguinem extrahit, si integra est, spiritum." *Galenus* monuerat, cucurbitarum applicatione illico dolores a flatulento spiritu ortos tolli, ac si incantamento hoc fieret. Verum hunc effectum non praestant aërem ex abdomine extrahendo; sed videntur eundem praestare humores derivando, simul etiam nervos irritando, quibus fit, ut spasmi in aliis locis solvi possint.

36.

Cum insuperabilis saepe, in fluidis elasticis e ventre pellendis, difficultas sit, varia adminicula mechanica ad aërem extrahendum praeposita sunt. *Canula elastica* ex gummi elastico, longitudinis sesquipedalis, quae ad flexuram Sigmoideam penetrat, ibidem utplurimum accumulatas et induratas foeces perforat, ideoque aëri exitum parat.

Insuper datur et *sipho* [2]), qui uti canula illud saltem fluidum elasticum, quod crassis intestinis immotum haeret, attrahere, educere potest. Etsi cum his duobus instrumentis causa morbi auferri nequeat; uti-

---

[1]) Lib. II. c. 11. p. 83.

[2]) *Thilow* Beschreibung eines Instrumentes, vermöge welches die im menschlischen Körper angehäufte Luft ausgezogen werden kann. In *Hufelands* Journ. d. prakt. Heilkunde, B. 9. St. 2. S. 3.

litatem tamen eorum tum eventus repetitio comprobavit; tum ratio ex eo quidem illustrat, quod aëre ex crassis intestinis sic educto, coli valvula progredienti a tergo ex tenuibus fluido elastico resistentiam minorem opponat; et quod magnum jam in eo, quod intestinorum ad rupturam usque extensio, pro tempore saltem, et donec aliud solamen ferri queat, minuatur, sit lucrum.

37.

Si autem nullis remediis cedat Tympanites, an *punctura* a pluribus praeposita locum habeat? Si Tympania abdominalis foret, cum illa plerumque putredinis soboles sit, facile apparet, tunc parum sperari posse. Levabitur forte aeger a molesta tensione; sed manente fomite putrido, renascetur Tympanites. Si vero non in cavo abdominis, sed in ventriculo et intestinis haeserit aër, punctura aëri viam pandere non poterit, nisi pertundantur haec viscerà. An autem haec pertusio, quae ex analogia omnino invitat, quum in animalibus tam bonos praestet effectus, hic locum habere poterit?

Perforationi intestinorum, acus triquetrae ope peragendae, multa ac gravia renituntur argumenta [1]).

1. Prae aliis dilucidavimus, aërem elasticum nunquam per totum canalem entericum aequabiliter distributum esse solere, sed in singulis ditionibus, quarum una cum altera, etsi contigua, nullam habeat communicationem propter flexuras et stricturas spasticas complures; quare tot fierent perforationes, quot sunt loculamenta invicem separata, ut omnis educatur aër.

2. Quaevis vulnera intestinis, etiamsi sanis inflicta periculi sunt plena; quid vero judicandum de laesione

---

[1]) Annales Ticin. *Fr. Nob. ab Hildenbrand.* T. I. p. 283 et 284.

intestini inflammati, valde tensi, et summopere in gangraenam nitentis? 3. Vulnerato eum in modum intestino, ut saltem portio aëris prodeat, contemporaneus liquorum entericorum et foecum exitus in cavum abdominis impediri nequit, quae corrupta dein novum et irreparabile damnum aegro inferre debent. 4. Ast ubi certa pernicies imminet, nonne melius anceps, quam nullum experire remedium?

Quousque spes sanationis securiori via obtinendae affulget, nemo sanae mentis vitam aegri periclitabitur operationis genere infido, summeque periculoso. Quodsi vero res conclamata fuerit, intestinis jam inhaeret aut paralytica atonia, aut funesta gangraena. Sive igitur rationem, sive experientiam consulemus, paracentesin intestinorum in casu Tympaniae nec prodesse posse, nec unquam profuisse constat; quare e foro praesidiorum therapeuticorum merito exsulanda, atque solis Veterinariis relinquenda.

38.

Tertiam quod attinet *indicationem*, haec curam radicalem amplectens a medico exposcit, ut impediat, quominus aër iterum formetur. Hunc in finem omnis medici attentio in plenariam causarum, si quae fors adessent, excitantium aut morbum sustinentium exstinctionem, et in intestinorum vitalitatem labefactatam erigendam vertatur oportet. Quare hic remedia *tonico-solventia*, *amara*, *antispastica*, supra jam adducta, pro necessitate seligantur. Quibus usus *roborantium* pro vitali energia intestinorum infracta mox adjungitur.

Praeprimis commendantur: Rad. Gentian., Colomb., Rhei; Herb. Trifol. fibrin., Absynth. Summitat., Centaur. min.; Succ. Catech., Glandes Quercus, Gummi Kino, Lign. Quass., Campechian.; Cort. Cascarill., Simarub., Salic., Peruv.; Praeparat. Ferri, aquae fer-

ratae, Fel Taur. inspiss., Alumen etc. quae vero magnam sibi expostulant cautelam, ne usu diutius protracto obstructiones, ideoque novam ansam morbi reiterantis inducant.

Simul autem abdomen subsidere incipit, fasciis circumductis firmandum esse suadet ill. *van Swieten*, ne ventriculus et intestina denuo dilatentur, sed magis resistant vaporibus rarefactis, qui adhuc per illorum cava oberrant.

Theses defendae.

I.

Ars medica est difficillima, et ingenio hominum altior.

II.

Scientiis astronomicis ac meteorologicis medicus rationalis carere non potest.

III.

Literarum studium efficacissimum contra affectus et animi pathemata remedium.

IV.

Emphysema sola systematis lymphatici actione resorbetur.

V.

Non datur in regionibus montanis animalium epidemia universalis.

VI.

Febris flava est contagiosa.

VII.

Metus et terror quam maxime morbos epidemicos et contagiosos propagare valent.

VIII.

Morbi chronici non tantum acutis frequentiores occurrunt, sed et curatu sunt longe difficiliores.

IX.

Duratio sola morbi non sistit differentiam inter morbum chronicum et acutum.

X.

Influxus hepatis in animum gravior est, quam hucusque aestimatus.

XI.

Hysteria lapis Lydius patientiae medicorum.

XII.

Cura alterans in neurosibus summi momenti.

XIII.

Vomitum vomitu curare, praesente saburra quadrat.

XIV.

Medicus naturae obtemperet, ut eidem imperare possit.

XV.

Paracentesis in Tympanitide intestinali semper rejicienda.

XVI.

Ad pupillam arteficialem formandam Iridectomia *Beeri* et Iridodyalysis *Langenbeckii* cum excissione sufficiunt.

XVII.

Homoeopathia pro suis principiis non nisi morbos imaginarios sanare valet.

XVIII.

Quod ex pharmacis negligunt homoeopathici, verbis compensare student.

XIX.

Phlebotomia optimum saepe diaphoreticum nec non diureticum.

Literatura.

Monographiae.

Kadelbach, de tympanitidis pathologia et therapia. Lipsiae. 1772.

Trnka de Krzowitz, Hist. tympanitid. Vindob. 1788.

Sachse, Diss. de tympanite, Gotting. 1795.

L. Rintel, de tympanitide. Gott. 1808.

Opera therapeutica.

Friderici Hoffmann, opera omnia physico-medica, denuo revisa, correcta et aucta. Genevae 1748.

R. A. Vogel, de cognoscendis et curandis praecipuis corporis humani adfectibus. Goettingae. 1772.

Christ. Gottl. Selle, Medicina clinica, oder Handbuch der mediz. Praxis. Zweyte Auflage. Berlin, 1783.

William Cullen, Anfangsgründe der prakt. Arzneywissenschaft. Vierter Thl. Leipzig, 1784.

P. Frank, de curand. homin. morb. epitom. etc. Tübing. 1811. Lib. VI. pars I. p. 38 — 133.

Friedrich Jahn, Klinik der chron. Krankheiten. Arnstadt, 1815.

A. G. Richter, specielle Therapie. 1818.

Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie von Dr. *Joh. Nep. Edlen von Raimann.* 2 Bde. 3. Auflage. Wien, 1826.

W. A. Haase, über die Erkenntniss und Behandlung chronischer Krankheiten. Wien, 1829.

Ignaz Rud. Bischoff, Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung der chronischen Krankheiten. Wien, 1830.

VINDOBONAE.

TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

MDCCCXXXIII.